

DISPUTATIO XXII.

De legibus ; divinâ, Ecclesiasticâ & civili.

Homines ad finem supernaturalem conditos in unam communitatem adunatos non tantum lege naturali sed etiam positivâ instituit Deus, tum per se ipsum in veteri testamento multa populo electo dando præcepta, in novo testamento condendo legem Evangelicam ad fidem & Sacramenta & uberiores moralium præceptorum veteris testamenti explicationem pertinentem, tum per Magistratum Ecclesiasticum & civilem, quorum hic leges ad felicitatem Reipublicæ naturalem, ille leges ad supernaturalem animarum salutem obtinendam condit;

QUÆSTIO I.

De lege novâ, veteri, & specialiter de præceptis decalogi.

Lex nova licet tempore posterior dignitate tamen prior veteri dicitur etiam Evangelica, & est illa, quam Christus Dominus tradidit, & promulgavit, Apostoli annuntiaverunt vel evangelizaverunt.

Lex vetus est illa, quam Deus electo populo ministerio Angelorum dedit sub promissione bonorum servantibus dandorum & comminatione malorum transgredientibus infligendorum, quæ per Christum Dominum sublata est quoad præcepta judicialia & ceremonialia & perfectior reddita quoad moralia, inter quæ eminent præcepta decalogi, sic dicta: quasi decem verba legis, eò quod denario numero comprehensa Moyli data & per eum promulgata sunt.

DICO I. *Sicut perfectum & imperfectum in eadem specie...* Hoc modo lex divina distinguitur in legem veterem & novam S. Th. hic Q. 91. a. 5. Q.

Pro

LEGIB. DI
 batur; expon
 & convenient
 Lex nova gratia
 sequentibus conv
 à Dio supremo
 eundem finem,
 m tanquam finem
 tribus gratia facta
 merito: quia lex v
 4. Utraque
 talia; moralia
 calogum, sed et
 , ceremonialia:
 sacrificio incru
 Sacramentoru
 talia. 5. Den
 ternos quam ex
 dei, spei, chari
 corporalia &c.
 Lex nova præm
 figura erat legis
 ejus, qui legent
 ven & Prophe
 lex nova per Ch
 modo Legislator
 1. Ex parte uni
 tate subditorum;
 modo scil. Israelitico
 per discete omnes q
 lex vetus erat mut
 4. Ex parte n
 observantiam mo
 observandam age
 nova observantiam
 com. 8. & alibi leg

Probaturn : exponendo utriusque legis convenientiam & disconvenientiam.

1. Lex nova gratiæ & lex antiqua veteris testamenti in sequentibus conveniunt. 1. Utraque est lex divina à Deo supremo Legislatore lata 2. Utraque habet eundem finem , quia est data hominibus , ut Deum tanquam finem ultimum per merita & opera ex viribus gratiæ facta assequerentur. 3. Utraque est de Christo : quia lex vetus Christum venturum significabat. 4. Utraque habet præcepta moralia & cæremonialia ; moralia non tantum illa , quæ pertinent ad decalogum , sed etiam quædam alia politiva præcepta , cæremonialia : quia illa , quæ sunt in lege novâ de sacrificio incruento , de administratione & receptione Sacramentorum , pertinent ad præcepta cæremonialia. 5. Demum utraque lex præcipit actus tam internos quam externos virtutum , internos ut actus fidei, spei, charitatis, externos ut opera misericordiæ corporalia &c.

2. Lex nova præeminet legi veteri . quæ sola umbra & figura erat legis novæ in sequentibus. 1. Ex parte ejus, qui legem promulgavit , quia lex vetus per Moysen & Prophetas puros homines est promulgata, lex nova per Christum Deum & hominem qui non modò Legislator sed etiam mediator & salvator erat ; 2. Ex parte universalitatis locorum & personarum sive subditorum : quia lex vetus data est uni genti, populo scil. Israelitico , lex nova ad omnes pertinet ; *Euntes docete omnes gentes.* 3. Ex parte durationis, quia lex vetus erat mutanda , Lex nova manet in æternum. 4. Ex parte modi , quo homines ad utriusque legis observantiam movebantur : quia ad veterem legem observandam agebantur præcipuè timore , ad legis novæ observantiam alliciuntur amore , idèd Apost. ad Rom. 8. & alibi legem veterem vocat legem timoris.

ris. 5. Ex parte majoris facilitatis, lex enim vetus act. 15. appellatur impotabile jugum. Lex autem nova Matth. 11. Jugum suave & onus leve tum ob uberiorem gratiam, quæ unâ cum Doctrinâ legis novæ hominibus offertur, tum ob spem remunerationis majorem & uberiorem, aperto jam per Legislatorem Christum cælo, quod olim erat clausum, tum ob pauciora & facilia in se præcepta: quia pro circumcissione modo est baptismus, pro tot sumptuosis sacrificiis & cæremoniis quasi infinitis instituit Christus Sacramenta, quæ juxta S. Aug. Epist. 118. sunt numero paucissima observatione facillima & significatione præstantissima. 6. Ex parte efficaciz: quia lex nova justificat, Lex antiqua non justificabat, Sacramenta enim propria legis veteris nullam in se & ex opere operato habebant vim justificandi & ideò ab Apost. ad Galat. 4. nominantur: *infirma & egena elementa*; Sacramenta autem novæ legis tanquam instrumenta efficacia ex opere operato gratiam conferunt. 7. Ex parte credendorum, quia explicatiorem fidem præcipuè de mysterio incarnationis & Trinitatis tradit & requirit Lex nova quam vetus. 8. Ex parte sperandorum: quia in veteri testamento expressè & ex instituto terrena bona, cælestia tantum figuratè, in novâ autem lege præcipuè cælestia promittuntur. *Demum* ex parte præceptorum: quia præcepta moralia perfectius sunt explicata in lege novâ, quam in lege veteri, præcepta autem cæremonialia ita in lege novâ sunt abrogata, ut Sacramenta longè perfectiora & præstantiora sint substituta, & simul penes Ecclesiæ Rectores sit relicta potestas pro varietate locorum, temporum & personarum opportunas leges tam cæremoniales quam judiciales salvâ Religionis substantiâ condendi.

DICO 2. *In præceptis juris divini, quæ sunt à Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, velis, cui ipse spe-*
cia-

LE LEGIB.
cur committer
potestas hun
pre directè.
robatur 1. à pr
coprie dispensat
ex justa & ratio
solum est, qu
Legislator ob
providisset; at
in justam & ratio
landi in lege divi
penetravit omne
cas causas, q
Robatur 2. à post
dispensationi in
Sacramentor
unitatem & u
fide sed maxim
Sacrement
Pontifex in uno p
, non est ratio cu
quod contrari
DICO 3. *Conuen*
tribus Dei scilicet
Th. hic Q. 98. a.
angelum fuit dat
electum,
Explicatur: Impri
promissio & pact
certis legibus &
mentum fuit in sta
posteritati ex Ada
conditione observ

cialiter committeret S. Th. hic Q. 97. a. 4. ad 3. Sive nulla potestas humana potest in lege novâ divinâ dispensare directè.

Probatur 1. à priori: nullus inferior potest directè & propriè dispensare in lege sui superioris, nisi præsumatur ex justa & rationabili causâ, superior id velle, quæ causa solum est, quando talis casus emergit, in quo superior Legislator obligationem legis remitteret, si illum prævidisset; atqui potestas humana est inferior nec ullam justam & rationabilem causam habere potest dispensandi in lege divinâ: quia Deus infinitâ suâ scientiâ penetravit omnes casus, qui emergere possunt & omnes causas, quibus remittenda esset obligatio Legis.

Probatur 2. à posteriori: si daretur locus mutationi vel dispensationi in jure divino circa materiam v.g. & formam Sacramentorum, Ecclesia Dei non haberet necessariò unitatem & uniformitatem, quæ non consistit in solâ fide sed maximè in exteriori quodam Dei cultu, Religione, Sacramentorum ritibus substantialibus; & si S. Pontifex in uno præcepto juris divini dispensare valeat, non est ratio cur non in omnibus dispensare valeat, quod contrariatur traditioni & doctrinæ totius Ecclesiæ.

DICO 3. *Conueniens fuit, ut... Lex vetus per ministros Dei scilicet per Angelos daretur hominibus* S. Th. hic Q. 98. a. 3. O. Sive lex veteris testamenti per Angelum fuit data Moyfi & obligabat solum populum electum.

Explicatur: Imprimis testamentum in genere est divina promissio & pactum, quo humana communitas sub certis legibus & ritibus aggregatur. Primum testamentum fuit in statu innocentie, quando promissa fuit posteritati ex Adamo propagandæ justitia originalis sub conditione observandi divina mandata, præcipuè

de non comedendo fructu de ligno scientiæ boni & mali; everso hoc primo testamento per peccatum originale, postquam homines longo tempore sub lege naturæ vixissent, & lex naturalis propter invalescentium malorum perversitatem in humanis cordibus obscurari & ferè deleri inciperet, successit secundum testamentum vetus sive promissio de bonis temporalibus conferendis populo Israelitico, & de Christo omnium Redemptore ex ipsorum sanguine nascituro sub conditione præscriptarum & promulgatarum per Moysen legum, caeremoniarum & sacrificiorum, quibus ipse Christus & gratia per Christum conferenda adumbrabatur: testamentum hoc vetus initium sumpsit à temporibus Abrahæ: quia ad ipsum primò facta est promissio, quod ipsius posteritati danda esset terra Palæstina, quæ ideò appellata est terra promissionis, & quod ex ejus semine nasciturus esset Christus; ipse quoque primus legem circumcisionis accepit, per quam familia Abrahami ab aliis gentibus distinguebatur, & in unam Ecclesiam coadunabatur. Tertium testamentum est testamentum novæ gratiæ sive promissio à Christo Domino homini facta de reconciliatione generis humani, & de gratiâ & gloriâ tum ex opere operantis, tum ex opere operato hominibus conferendâ sub onerosâ conditione mortis & passionis subeundæ, quod testamentum in Christi morte perfectum & consummatum fuit: quia omnis causalitas gratiæ sive in lege non scriptâ sive in lege Mosaicâ maximè illa, quæ per Sacramentum deletivum peccati originalis conferebatur, pertinet ad novum testamentum, cui soli post lapsum Adami annexa est promissio gratiæ.

Hoc prænotato: Lex veteris testamenti est quæ data fuit per Angelum non tanquam per Legislatorem sed tanquam per instrumentum, quo Deus Moysi legem proponebat & promulgabat, qui Angelus, id-

circò

e LEGIB. I
 etiam quod I
 Dei loquebatur
 , quod Lex i
 nova, non erat
 per Deum daretur
 q. promissio Ab
 epit quando Mo
 , quod tunc d
 legit populo, p
 vna est. Dominu
 ra lex illa erat ve
 erat ipsa divina
 o, sub quâ fact
 missio juxta illu
 um & custodierit
 culum de cunctis
 tabernaculum testa
 lex vetus oblig
 teros ex Abraham
 descendentes,
 Messias vel Chri
 tus factam gratu
 tiam quâdam sanct
 itate, unde quamvis ge
 nti per circumcisio
 nem, multi tamen ge
 nti observatione
 humana lex i
 veteris testamen
 ti & Sacramenta,
 etiam aggregabat
 tam gratiæ, sed e
 quam gratiam confer
 ret, illud non hab
 testamenti sed concor

circò etiam quòd Deum repræsentaet, in persona ipsius Dei loquebatur; cuius congruentia est; quia hoc ipso, quòd Lex illa non esset simpliciter perfecta, ut lex nova, non erat consentaneum, ut immediatè per ipsum Deum daretur; lex illa erat veteris testamenti, quia promissio Abrahamæ facta primò suam perfectionem accepit quando Moyses Exod. 24. assumpsit volumen legis, quòd tunc dici cœpit volumen fœderis illudque prælegit populo, populo respondente: *Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus & erimus obedientes.* Et ita lex illa erat veteris testamenti, non quia formaliter erat ipsa divina promissio, sed quia lex erat conditio, sub quâ facta est à Deo futurorum bonorum promissio juxtà illud Exod. 19. *Si audieritis vocem meam & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis.* Eodem modo & Arca & Tabernaculum testamenti seu fœderis sunt appellata. Hæc lex vetus obligabat solum populum electum & posteros ex Abrahamo, cui primitus promissio est facta, descendentes, quia decebat, ut ille populus, ex quo Messias vel Christus secundum promissionem Patribus factam gratuitâ Dei electione erat nasciturus, speciali quâdam sanctificatione aliis gentibus antecelleret, unde quamvis gentiles ad Synagogum populi Israelitici per circumcisionem admissi lege veteri obligarentur, multi tamen gentiles extrâ Synagogam v.g. Job absque observatione legis Mosaicæ sunt salvati. Erat denum humana lex imperfecta, quia eâ ratione, quâ erat veteris testamenti præcipiens Cæremonias, sacrificia & Sacramenta, quibus ille populus in unam Ecclesiam aggregabatur, nullam habebat efficaciam causativam gratiæ, sed eandem tantum figurabat, aut si quam gratiam conferendam ex opere operantis significaret, illud non habebat formaliter ex meritis veteris testamenti sed concomitantè ex virtute novi testamenti,

ad quod pertinet meritum fidei in Christum, sine quâ in nullo statu collata fuit gratia; at verò licet lex illa nullam ex suâ efficacîâ conferret gratiam, nihilominus Deus Judæis in veteri lege non negavit auxilia & gratias, quibus ea præcepta, ad quæ obligarentur, implerent, aliàs fuissent ipsis ea præcepta impossibilia contrâ Can. 18. sess. 6. de justif. Con. Trident. Unde bene damnata est à Clemente XI. Quenellii propositio 6. *Discrimen inter fœdus judaicum & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in suâ impotentiâ: in isto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum suâ gratiâ purificando & 7. Que utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propria infirmitati, imponendo ipsi suam legem? que verò felicitas non est, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?*

DICO 4. *Omnia præcepta legis veteris sunt unum secundum ordinem ad unum finem: sunt tamen multa secundum diversitatem eorum, que ordinantur ad illum finem. S. Th. hic Q. 99. a. 1. O.*

Ratio: max partis est: quia omnia præcepta legis veteris ad eundem specialem finem ordinabantur, qui erat adumbrare futura novæ legis mysteria & populum electum.

2da Pars exponitur: triplicia erant legis veteris præcepta, moralia, Cæremonialia & judicialia, de quibus Moyfes dicebat Deuteron. 6. *Hæc sunt præcepta & Cæremonie atque judicia. 1. Per præcepta intelliguntur præcepta moralia juris naturalis in Decalogo comprehensa vel formaliter vel virtualiter ut conclusiones in principiis aut ut principia in conclusionibus, quæ præcepta juris naturalis triplicem dicunt ordinem: imprimis enim homo per illa ordinatur ad honestum naturale tanquam ad finem naturæ rationali quâ tali proprium*

LEGIB, I
 p... sic perin
 n... Authore co
 h... per observan
 r... inlequi potest
 t... beatitudinem
 e... Denique
 b... effiam venturu
 v... am, & ita po
 r... ad Christum e
 p... pta moralia era
 t... monie sunt pra
 c... ramenta ritus
 u... universali esset
 n... nem internæ fic
 u... lulari tamen ac
 t... quod eni
 s... vel hircus ac
 c... cio, quam figu
 m... tamenti. 31
 q... que determinat
 m... equitatis in
 p... præcepta, quat
 r... mationem recta
 m... & accessoriâ ve
 m... legis gratiæ.
 DICO 5. In pass
 s... que legalia. S. T
 l... Lex antiqua fuit
 r... per mortem Chi
 c... misti sacrificio in
 r... ratio est: quia le
 m... tamenti, quo p
 r... am suam amisit,
 m... potuit lex illa ul
 p... præcepta referre

prium & sic pertinent ad legem naturalem à supremo naturæ Authore cordibus humanis impressam ; Deinde homo per observantiam horum præceptorum merito-riè consequi potest suum finem supernaturalem æternam beatitudinem , & sic pertinent ad legem novam gratiæ. Denique per illa ordinabatur populus electus ad Messiam venturum sub promissione honorum temporalium , & ita populus ille disponebatur majori puritate ad Christum ex se nasciturum & sub hâc ratione præcepta moralia erant propria veteri testamento. 1dò. Cæremoniæ sunt præcepta Cæremonialia circà sacrificia & Sacramenta ritus Cæremoniales præscribentia, quæ licet in universali essent ordinata ad cultum Dei, protestationem internæ fidei, evitacionem Idololatriæ ; In particulari tamen ad mysticas significaciones ordinabantur : quod enim tale determinatum animal v.g. Agnus vel hircus ad sacrificia deputaretur, non erat alia ratio, quam figurativa & significativa mysteriorum novi testamenti. 3tò. Judicia sive præcepta judicialia, quæ determinabant certum modum justitiæ & ordinem æquitatis in convictu humano observandum, quæ præcepta, quamvis principalius essent ordinata ad gubernationem rectam reipublicæ, ex consequenti tamen & accessoriâ voluntate Dei erant figurativa mysteriorum legis gratiæ.

DICO 5. *In passime Christi... totaliter debuerunt cessare legalia.* S. Th. hic Q. 103. a. 3. ad 2. Sive tota Lex antiqua fuit mortua, sive vim obligandi perdidit per mortem Christi aut consummato per mortem Christi sacrificio in arâ Crucis.

Ratio est : quia lex antiqua fuit alligata statui veteris testamenti, quo proinde sublato etiam lex illa efficaciam suam amisit, & mutato sacerdotio legis antiquæ non potuit lex illa ulterius consistere : cum præcipua ejus præcepta referrentur ad sacrificia & sacerdotium

legis antiquæ; atqui in morte Christi sublatum est testamentum vetus confirmato jam per mortem testatoris novo testamento; Item in morte Christi sublatum fuit sacrificium & Sacerdotium veteris legis tum per sacrificium cruentum crucis, tum per sacrificium incruentum in ultimâ cœnâ, in quâ Christus se exhibuit sacerdotem non juxtâ ritum & institutionem legis Mosaicæ, sed secundum ordinem Melchisedech juxtâ illud ps. 109. *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*; ergo impletis per sacrificium Crucis omnibus præcedentibus variciniis & figuris lex antiqua fuit mortua & antiquata, in cujus signum post mortem Christi statim velum templi scissum fuit Luc. 23. ut videri potuerint mysteria quæ sub velamine legis hucusque fuerant abscondita.

Non obstat 1. Illud Luc. 16. v. 16. & Matth. 11. v. 13. Omnes Prophetæ & lex usque ad Joannem; quia illius sensus non est obligationem legis solum perdurâsse usque ad Joannem Baptistam, sed quod prædicationes de Christo venturo pervenerint solum usque ad tempora Joannis, qui Christum ipsum præsentem digito monstravit, vel quod lex Mosaica usque ad Joannem fuerit prædicata, inde verò novum Evangelii prædicatio de Christo præsentem & Regno Cælorum insonuit.

Non obstat 2. Illud Christi Matth. 5. *Non veni solvere sed adimplere*; hujus enim sensus est, quod Christus non venerit ad tollendam illius legis observantiam, priusquam omnes legis figuræ per mortem & passionem essent impletæ, tunc enim non poterat ulterius locus esse umbris & figuris.

DICO 6. *Peccaret mortaliter, si quis nunc Cæremonias observaret, quas antiqui piè & fideliter observabant* S. Th. hic Q. 103. a. 4. O. Sive lex vetus post mortem Christi facta est mortifera quoad Cæremonialia non quoad alia præcepta. Ra.

D LEGIB
tio I. Paris
omorem pecc
vatoribus ad
Christi morte
lat. f. v. 2. E
cumdamini,
vati estis à Chr
quæ excelsis.
Paris exponit
Titulum antiqua
ui proprias: ut
mortua vigen
quoad substan
confirmata per
quidem que
stantiam ordi
publicæ Israelitic
tatem figuræ C
reversa; hæc t
quia in præ
conformia æqui
accommodata,
tantum præ
monialia erant or
venturum: qu
boræ figuræ, pro
curari: atqui mar
et amplius prædica
turum; ergo post
legis non sunt a
Q. Quando posi
precepta Cæremoni
e. Lex vetus, cu
terea viva, utilis e
post mortem Christi

Ratio 1. Partis est : Lex mortifera dicitur ex eo, quod mortem peccati & damnationis æternæ ejusdem observatoribus adferat ; atqui illicitum prorsus fuit post Christi mortem legalia observare juxtà illud Pauli ad Galat. 5. v. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis : quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit & v. 4. evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratiâ excidistis.*

2. Pars exponitur : nam 1. præcepta moralia quoad Titulum antiquæ legis & quasdam circumstantias isti statui proprias : ut est v. g. cultus diei Sabbathi, fuerunt mortua vigent tamen adhuc quoad substantiam, quia quoad substantiam pertinent ad legem naturæ & sunt confirmata per Evangelium. 2. Præcepta judicialia sunt quidem quoad substantiam mortua : quia quoad substantiam ordinabantur tum ad bonum politicum Reipublicæ Israeliticæ, tum ad Christum figurandum : jam autem figuræ Christi cessant & Judæorum respublica est everfa ; hæc tamen præcepta non sunt per se mortifera : quia in præceptis judicialibus plura continentur conformia æquitati naturali & publicæ tranquillitati accommodata, nec ad annuntiandum Christi adventum tantum præcisè ordinata. Sed præcepta Cæremonialia erant ordinata præcisè ad figurandum Christum venturum : quia veteris legis Cæremonia erant umbræ, figuræ, protestationes & annuntiationes Christi venturi : atqui manifestato Dominico adventu non licet ampliùs prædicare vel annuntiare Christi adventum futurum ; ergo post adventum Christi Cæremonia veteris legis non sunt ampliùs licitæ. Si autem,

Q. Quando post mortem Christi lex vetus' quoad præcepta Cæremonialia fuerit mortifera ?

R. Lex vetus, cujus observatio ante mortem Christi erat viva, utilis & conducens ad æternam salutem, post mortem Christi usque ad sufficientem promulgationem

tionem Evangelii fuit mortua non amplius obligatoria, promulgato autem per orbem Evangelio cœpit esse mortifera, ut constat ex scriptura: quia Apostoli post mortem Christi aliquo adhuc tempore Cæremonias veteris legis observarunt. Sic Paulus Timotheum circumcidit Act. 16. Jacobus præmissâ legali purificatione more Judæorum ingressus est templum Act. 21. in 1. Concilio generali gentibus ad Christum conversis præcipitur Act. 15. *Visum est Spiritui Sancto & nobis nihil ultra vobis imponere oneris quam ut abstinere vos ab immolatis simulachrorum & sanguine & suffocato;* abstinere autem à sanguine & suffocato pertinebat ad Cæremonias veteris legis; cum igitur Apostoli confirmati in gratiâ non tantum licet post mortem Christi servaverint quasdam legis veteris Cæremonias, sed etiam ad tempus causâ vitandi scandali quædam ex lege veteri servare jusserint, lex vetus post mortem Christi non fuit statim mortifera

Denique de præceptis decalogi præter jam dicta.

DICO 7. *Augustinus ponit tria præcepta in ordine ad Deum & septem in ordine ad proximum, & hoc melius est.* S. Th. hic Q 100. a. 4 O.

Explicatur: licet alii præcepta decalogi aliter dividant ac recenseant, communis tamen divisio optima est: quâ præcepta decalogi primæ tabulæ ponuntur tria, quibus præcipiuntur ea, quæ Deo sunt exhibenda, & prohibentur ea, à quibus ob reverentiam & honorem Dei est abstinendum. Et præcepta secundæ tabulæ ponuntur septem, quibus tum proximis debita reddere, tum ea, quibus Jus proximi læditur, vel quæ ad Jus proximi lædendum tendunt, omittere jubemur. Cujus numeri & ordinis convenientiam S. Th. loc. cit. a. 5. & 6. probat inde: voluit Deus per præcepta decalogi homines dirigere primò quidem in ordine ad seipsum velut ultimum finem, deinde in ordine ad proximum

LEIB.
ergo conve
cmandando in
tionem, in
mitterent,
hatum, ut grat
lent. Primu
thativum imple
& in 2. 2. ag
tur; secundum
olatriam, super
itur 2. 2. D
temeraria, i
torum violatio
Disp. XI. &
ad legem grat
Deinde in ordine
imum secundæ
eorum debite
ones, videlicet
petenda est ex 2
tali nocumentu
itur 2. 2. Disp
in personâ conj
ate, quod expo
a. p. Disp. XLV
abus possessis fac
XXVII, in oct
verbo inferri po
XXIV. Demu
occupentiam ca
am oculorum in de
sitione videantur

num; ergo convenientissimè posuit imprimis tria præcepta mandando in primo fidelem hominum ad Deum subjectionem, in secundo debitam reverentiam, ut nihil committerent, quod ei esset injuriosum, in tertio famulatum, ut gratitudinem pro concessis beneficiis exhiberent. Primum præceptum secundum quod est affirmativum impletur per actus virtutum Theologicarum & in 2. 2. agendo de virtutibus Theologicis exponitur; secundum partem verò negativam prohibet idololatriam, superstitionem, divinationem &c. & exponitur 2. 2. Disp. XXXVIII. secundum prohibet falsa, temeraria, injusta juramenta, & justorum juramentorum violationes, blasphemias &c. & exponitur 2. 2. Disp. XI. & Disp. XXXVII. tertium secundum quod ad legem gratiæ pertinet exponitur. Q. seq.

Deinde in ordine ad proximum in quarto, quod est primum secundæ tabulæ, præcipit debitum reddere iis, quorum debitores per naturalem originem sunt homines, videlicet parentibus, cujus præcepti expositione petenda est ex 2. 2. Disp. XVI, Q. 3. in quinto vetuit ulli nocumentum inferre in personâ propriâ, quod exponitur 2. 2. Disp. XXVI. in sexto prohibuit proximis in personâ conjunctâ quoad propagationem proles nocere, quod exponitur tum 2. 2. Disp. XVIII. Q. 4. tum 3. p. Disp. XLV. in septimo prohibuit nocumenta in rebus possessis facto inferenda quod exponitur 2. 2. Disp. XXVII. in octavo nocumenta, quæ in eisdem rebus verbo inferri possent, vetuit, quod exponitur 2. 2. Disp. XXIV. Demum internum nocendi affectum per concupiscentiam carnis in nono & per concupiscentiam oculorum in decimo interdixit, pro quorum expositione videantur dicta in hâc parte Disp. XIII.



QUÆSTIO II.

De Ecclesia præceptis.

Non agimus hic de præceptis Ecclesiæ particulares quædam personas concernentibus sed de his quæ omnes personas ligant. Quorum 5. vulgata enumerantur nempe. 1. Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato. 2. Sacrum Missæ Officium diebus festis reverenter audito. 3. Indicta certis diebus jejunia & à quibusdam cibis abstinentiam observato. 4. Peccata tua sacerdoti proprio aut alteri cum ejus facultate singulis annis confiteor. 5. Sacro-Sanctam Eucharistiam ut minimum semel in anno idque circa festum Paschæ sumito; quia posteriora duo præcepta alibi exponuntur videl. 4^{to} 3. p. Disp. XXXIV. & 5^{to} ibid. Disp. XXV. de tribus prioribus hic fusius agendum.

DICO I. Observantia diei dominica in novâ lege succedit observantiæ Sabbathi... ex constitutione Ecclesiæ & consuetudine populi Christiani.... quedam opera conceduntur in die Dominicâ, quæ in die Sabbathi prohibebantur, sicut decoctio ciborum & alia hujusmodi. Et etiam in quibusdam operibus prohibitis facilius propter necessitatem dispensatur in novâ, quam in veteri lege, S. Th. 2. 2. Q. 122. a. 4. ad 4.

1^{ma} Pars explicatur & probatur: præceptum servandi diem Dominicum & alia festa quoad substantiam est naturale pertinens ad tertium in decalogo: quia est ex jure naturæ orta obligatio Deum aliquando colendi, eique pro beneficiis præstitis gratias omissis aliis operibus agendi; sed quoad determinationem temporis est positivum, & in antiquo testamento à Deo quâlibet hebdomadâ erat determinatus dies Sabbathi, quo Deus requievit ab omni opere; pro anno integro varii dies festi prætereà erant determinati; sed in novo testamento dies Sabbathi mutatus est, & loco illius cultui di-

vino

DE LEGIB. I.
 v. specialiter et
 Eustico ab i
 da est congrue
 n. sicopus Re
 tionis complev
 ris conveniret.
 ista pro totâ
 Rex & general
 vere festa de S.
 Catalogum re
 7. de Fer. & C
 um festivitatem
 consuetudine su
 m. potestas pote
 ta festa, aut po
 p. accipere in si
 rum, non tam
 limites ex
 determinari si
 Nativitatis,
 tionis cum duc
 Pentecostes cu
 & Invention
 Annuntiatio
 omni SS. t
 S. Stephan
 S. Laurent
 Denique fe
 que festa unum d
 que regno, & u
 quâlibet civitat
 in Archidiecepsi
 tionis B. V. & in
 Qui dies æqu
 honorem Dei &

vino specialiter est deputatus dies Dominicus ex jure Ecclesiastico ab ipsis Apostolis descendente cujus duplex est congruentia: 1. Quia Christus illâ die resurrexit & sic opus Redemptionis multò excellentius opere creationis complevit; 2. Ne Ecclesia cum Judæis in ritibus conveniret. Præter hunc diem Dominicum alia festa pro totâ Ecclesiâ instituire potest summus Pontifex & generale Concilium, & pro diocesi possunt instituire festa de Sanctis à summo Pontifice in Sanctorum Catalogum relatis etiam Episcopi ex cap. conquestus §. de Fer. & Can. 1. dist. III. de Conf. Si ad perpetuam festivitatem accedat Cleri populique consensus. De consuetudine sufficit solius Cleri consensus; laica autem potestas potest quidem politica quædam & honoraria festa, aut potiùs ab operibus servilibus cessationem præcipere in signum lætitiæ ob aliquem felicem eventum, non tamen sacra festa, cum hoc potestatis politicæ limites excedat. Ex decreto autem Urbani VIII. determinati sunt sequentes dies festi nempe festa Christi Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duobus sequentibus, Corporis Christi & Inventionis Sanctæ Crucis, Festa B. V. Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis & Assumptionis, Festa omnium SS. Apostolorum. Dedicacionis S. Michaelis. S. Stephani. SS. Innocentium. S. Joannis Baptistæ. S. Laurentii. S. Josephi. S. Annæ. S. Sylvestri. Denique festum omnium Sanctorum; præter quæ festa unum de Principalioribus Patronis in quocunque regno, & unum de Principalioribus Patronis pro quâlibet civitate, oppido, pago institui potest. Uti in Archidiccesi Colonensi totâ est festum Conceptionis B. V. & in Colonensi civitate festum S. Ursulæ. Qui dies æquè ac Dominici Sanctificandi sunt in honorem Dei & Sanctorum ex præcepto Ecclesiæ; addit

addit autem Urbanus in suâ constitutione : ad reliquorum verò dierum observantiam , quos hactenus sive in universa Ecclesia sive in quâvis natione aut regno, provinciâ , diœcesi aut loco quomodocunque sive ex præcepto , sive ex consuetudine sive ex devotione Christi fideles tanquam festivos celebrârunt , nequaquam ex præcepto ipsos teneri dictâ Authoritate tenore præsentium perpetuò etiam decernimus & declaramus.

2da Pars explicatur : hisce diebus Dominicis & festivis prohibentur quidem opera servilia & quædam liberalia , de quibus statim , attamen præter auditionem Missæ , de quâ infra , nulla positiva actio præcipitur. Non auditio Concionis : quia nullum de hâc extat Ecclesiæ præceptum.

Dices. In Can. 9. Apostolorum dicitur : *quicumque fideles Ecclesiam ingrediuntur , & Scripturas audiunt , neque apud preces & Sanctam communionem permanent , eos tanquam qui ordinis in Ecclesiâ perturbationem inducant , à communionem arceri oportet.* Item in Con. Carthaginensi 4. relato in Can. Sacerdote 63. dist. 1. de Conf. dicitur : *Sacerdote verbum in Ecclesiâ faciente , qui egressus de auditorio fuerit , excommunicetur.*

R. In Can. Apostolorum tantum præcipitur , ut illi , qui interfunt concioni , modesti sint , & egressu alios non turbent. Idem est de Concilio Carthaginensi præterquam quod hoc tanquam particulare totam Ecclesiam obligare non potuisset.

Licet ergo Episcopi & Parochi graviter obligentur ex Con. Trid. vel per se vel per alios idoneos verbum Dei prædicare , attamen fideles ad audiendum Ecclesia non obligavit , licet posset vel potuisset obligare : cum sit in materia ad salutem maximè utili ; ideò autem videtur abstinuisse ab hoc præcepto : quia vel in Sacramentali

mentali

DE LEGIB.
 Confessio
 et vel aliis mo
 tam necessaria
 y dei (pei Ch
 celo diebus fest
 phibita ;
 stinendum
 ep. licet 3. de
 gulum opera a
 is propria, in c
 immediatè ce
 blla sunt , qu
 struendam me
 est legere , h
 cipio etiam si
 stivis licita : q
 io per se ordit
 hinc ferviens
 lucri ; quia l
 etiam describet
 intellectum ,
 hominò per acc
 ed quod impr
 ter modum loc
 nis, ut scriptio
 componendo ac d
 cupiendo, que
 ter actio pingendi
 io imaginis seu fig
 mediatè servit men
 oriz per illam im
 et inter scriptiones
 se & immediatè di
 tio autem tantum
 & occupatio sunt ac
 1. 2. Theol. Sch

mentali Confessione, vel diligenti Catecheticâ instructione vel aliis modis fideles sufficienter de iis, quæ ad salutem necessaria sunt, instruuntur. Nec alii actus vid. fidei spei Charitatis contritionis &c. Per se loquendo diebus festivis præcepti sunt. Sed quoad opera prohibita:

Abstinendum est imò ab operibus servilibus ex cap. licet 3. de fer. ibi: *In his ab omni opere servili cessandum* opera autem servilia sunt opera corporalia servis propria, in quibus unus homo alteri servit, sive quæ immediatè cedunt in utilitatem corporis; opera liberalia sunt, quæ proximè & immediatè referuntur ad instruendam mentem propriam vel alienam, cujusmodi est legere, loqui, docere &c. Hinc scriptio & descriptio etiam si fiat lucri causâ est actio liberalis diebus festivis licita: quia scriptura est quædam permanens locutio per se ordinata ad declarandos mentis conceptus & hinc serviens animæ non corpori. *Nec obstat* intentio lucri; quia hæc non facit, quin actio scribendi aut etiam describendi sit per se ordinata ad illustrandum intellectum, & quod ex lucro serviat corpori, est omninò per accidens. Non est idem de impressione: eò quod imprimere libros sit servile: quia id non fit per modum locutionis & expressionis conceptuum mentis, uti scriptio, sed per actionem merè mechanicam componendo ac disponendo litteras singulas easque imprimendo, quod mechanicum & servile est, similiter actio pingendi est opus servile: quia est efformatio imaginis seu figuræ alicujus in tabulâ, quæ tantum mediatè servit mentis instructioni seu conservationi memoriæ per illam imaginem juvandæ, & hæc est disparitas inter scriptionem & pictionem: quod scriptio per se & immediatè dirigatur ad mentis instructionem pictio autem tantum mediatè, prætereà venatio, piscatio, & aucupatio sunt actiones serviles de se (nisi consuetudo

scientibus & tolerantibus Ecclesiæ Prælatiſ introducta excuset) diebus festis illicitæ, licet etiam recreationis causâ fiant, quia sunt per se ordinatæ ad utilitatem corporalem. Ulteriùs prælatio est actio servilis: cum versetur unicè circà Corporis effectus, hinc de se est diebus festis illicita, nisi necessitas fere semper intercurrentes excuset; exercitationes tamen & demonstrationes militares tempore pacis fieri solitæ licitæ sunt, tum propter consuetudinem, tum propter moralem necessitatem pro publicâ Civitatis custodiâ. Idem est de consuetudine discendi artem digladiatoriam; denique itineratio sive pedibus sive equo sive curru fiat, non est opus servile, & hinc diebus festis est licita, licet fiat cum magnâ corporis defatigatione; aliud esset, si duceretur Bestia vel currus onustus, similiter si leventur & imponantur res vehendæ, nisi id fiat ob necessitatem vel grave damnum vitandum de quo statim

2dò abstinendum est ab aliquibus operibus liberalibus, talia sunt sequentia: 1mò mercatus, quo nomine non tantum intelliguntur solemnes nundinæ, sed etiam illæ, quæ habentur hebdomadatim, in quibus multum consuetudo mutavit non tantum quoad privatos contractus emptionis venditionis &c. modo tales contractus non fiant apertis officinis & quasi in publico, imò etiam quoad ordinarias nundinas, quæ consuetudo conniventibus Ecclesiæ Prælatiſ introducta rationabilis est: quia reipublicæ interest fixum habere diem, quo ad nundinas illi, qui interesse cupiunt, ex vicinis partibus confluant. 2dò, actiones judiciales non jurisdictionis voluntariæ, ut: emancipare, pupillis tutores constituere, eligere ad officia & regimen reipublicæ, concedere dispensationes aut privilegia & absolvere à censuris, hi actus enim licitè exercentur diebus festis, quia non exposcunt strepitum judiciale; econtrâ illiciti sunt actus jurisdictionis contentiosæ cap. om-

DE LEGIB.
 rive fer, ibi:
 quatum: ne
 jur, nec Sa
 puel aliâ necessi
 cito citatio pro
 de reo in ju
 necutionem.
 pue exam
 testium,
 to, facta di
 Sententia jud
 nim hæc no
 est prohibita:
 ac vera sunt,
 propriè sit Ju
 ibi: ut nec
 rios vel spont
 curio appellati
 nem defensione
 die festo est
 sed & irritat
 nibus feriis (
) usque adeo
 nentibus eti
 ra, nec senten
 mulgari.
 Tertia Pars expli
 diebus festis
 quor videl. Reli
 gationis.
 Causa Religionis
 servientia non qu
 & per se, hæc en
 qua opera deserviu
 ra se: ut pulsatio

nes 1. de fer. ibi: *Ut in eis mercatum minimè fiat, neque placitum: neque aliquis ad mortem vel ad poenam judicetur, nec Sacramenta id est iuramenta (nisi pro pace vel aliâ necessitate) præstentur*, hinc prohibetur die festo citatio prout comprehendit tam iudicis mandatum de reo in iudicium vocando, quam huius mandati executionem. Formatio processûs, quæ importat præcipuè examen & iuramentum testium, depositio tamen testium, præstito priùs die non festo iuramento, facta die festivo probabiliter non est prohibita. Sententia judicialis imò & sententiæ executio, licet enim hæc non sit actus propriè judicialis, attamen est prohibita: cum maximum contineat strepitum. Et hæc vera sunt, licet lis agatur coram arbitro, cum hic propriè sit Judex L. omnes 7. C. de fer. lib. 3. tit. 12. ibi: *ut nec apud ipsos arbitros vel à iudicibus flagitatos vel spontè electos ulla sit cognitio iurgiorum*. Prosecutio appellationis (ipsa appellatio, cum ad naturalem defensionem pertineat, & non sit actus judicialis, die festo est licita) quos actus non modo prohibet sed & irritat cap. conquestus 5. de fer. *Quibus solemnibus feriis (nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat) usque adeo convenit ab huiusmodi abstinere, ut consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus huiusmodi promulgari.*

Tertia Pars explicatur: opera in lege veteri prohibita in diebus festis, in lege nova licitè fiunt ex causis quatuor videl. Religionis, Pietatis, necessitatis & dispensationis.

Causa Religionis excusat opera ad cultum divinum deservientia non quidem qualitercunque sed immediatè & per se, hæc enim opera sunt triplicia: imò. Aliqua opera deserviunt ad cultum divinum immediatè & per se: ut pulsatio Organi, portatio Crucis, & hæc

opera certò diebus festivis sunt licita; cum sint ipse Cultus externus Dei. 2dò. Aliqua opera sunt proximè disponentia aut præparatoria ad Dei cultum, ut si coquantur panes azymi, verratur templum, hujus parietes ornentur tapetibus, fiat debitum solemnitati tabularum, mundentur viæ publicæ dum futura est processio &c. Et hæc, si potuerint præveniri, non licet facere die festo, ità ut secluso scandalo esset veniale peccatum illa sine rationabili causâ facere, si autem adsit rationalis causa v.g. non reperiebantur commodè, qui die non festo illa opera præstarent, etiam vacat omni culpâ: cum referantur ad cultum divinum & hinc cohonestentur in tali circumstantiâ. 3tò alia opera sunt remotè & per accidens ad Dei cultum deservientia: v.g. colere agros Ecclesiæ, ad istius ædificium portare lapides &c. Et hæc diebus festis non licent, nisi vel de licentia Episcopi, qui ob causam aliam concederet laborandi licentiam vel in gravi quâdam Ecclesiæ indigentia.

Causa Pietatis ipsi operi secundum propriam rationem objecti intrinsecæ, excusat sepulturam mortuorum, curam infirmorum & alia pia opera, si tamen motivum pietatis non sit operi intrinsecum, sed tantum extrinsecum: videl. ab ipso operante intentum, non excusat laborem, quominus sit transgressio præcepti; alias liceret die festivo laborare, ut inde acquireretur lucrum in elemosynas erogandum, quod absurdum est.

Causa necessitatis tam privatæ quam publicæ, tam alienæ quam propriæ ex præsumptâ Ecclesiæ, ut pia matris, benignitate excusat imò. Festis diebus parantes cibum & potum etiam cum aliquâ superfluitate deserviente potiùs ad delectationem quam ad sustentationem, idem est de pistoribus, quando plures concurrunt festivitates, ut panis pistus non sufficiat communitati vel non sit satis aptus; & Molitoribus, cum parvus sit la-

bor

LEGIB.
 suspendendus
 tam, modo
 chirurgos, M
 ra medicinas i
 lites ideo, q
 litate; modo
 n laboretur
 Excusat agri
 gerum confer
 tulo adverfæ te
 miaz fapè a
 latem cum dâ
 teres, regulas
 ubique notabil
 unt. Sicut etia
 ne patrem au
 hoc compellunt
 ferviendi, eje
 are notabilem
 lito pontes, f
 opus sine gravi
 abilitet dici po
 zæ laticæ parant
 do arma, fabric
 dentibus diebus
 zæ signa sint c
 manditur causa ne
 e, quo apparere f
 bno difparent iter
 pportaret grave c
 Dispensatio legit
 nam Authoritatem
 zia est: penes Epi
 quati Episcopalem
 tedrale sede vacat

bor impendendus in molendinum vento vel aquâ agitan-
 dum, modo aliqua adsit necessitas. 2dò. Excusat
 Chirugos, Medicos, pharmacopolas die festo pa-
 rantes medicinas infirmorum saluti necessarias, & la-
 borantes ideò, quia aliàs familiam suam non valent
 sustentare: modo absit neglectus Missæ, scandalum,
 & non laboretur amplius, quam exigat necessitas.
 3tiò. Excusat agricolas ingruente pluvîâ providentes
 de segetum conservatione, seu colligentes fructus in
 periculo adversæ tempestatis, & hinc tempore Messis &
 vindemiæ sæpè adest causa sufficiens excusans labo-
 rem saltem cum dispensatione. Excusat pariter coquen-
 tes lateres, regulas, vitrum, si die festivo faciant illa,
 quæ absque notabili jacturâ in aliud tempus differri non
 possunt. Sicut etiam excusat filios & famulos laboran-
 tes, ne patrem aut Dominum habeant infensum, qui
 ad hoc compelluntur & meritò timent amittere occasio-
 nem serviendi, ejectionem è domo, gravem offensam
 aliamve notabilem jacturam 4tò. Excusat reficientes
 die festo pontes, fontes, vias publicas, dum ejusmo-
 di opus sine gravi jacturâ differri non potest. Idem
 probabiliter dici potest de laborantibus occasione pu-
 blicæ lætitiæ parando vestes, struendo tabulata, por-
 tando arma, fabricando lætitiæ instrumenta, quæ præ-
 cedentibus diebus perfici non poterant, eò quod talia
 lætitiæ signa sint quoque necessaria Reipub. demum
 extenditur causa necessitatis ad piscantes festivo tempo-
 re, quo apparere solet certum genus piscium, qui su-
 bitò disparent iterum, talis enim piscationis ommissio
 importaret grave damnum cap. licet 3. de fer.

Dispensatio legitima excusans requirit 1mò. Legiti-
 mam Authoritatem quæ respectu Diocesis in hâc ma-
 teriâ est penes Episcopum, aliosque jurisdictionem
 quasi Episcopalem obtinentes: veluti Capitulum Ca-
 thedrale sedè vacante, ac Religiosorum superiores res-

pectu suorum subditorum, ex consuetudine Parochi dispensant, si Episcopus adiri nequeat, in festorum observantiâ, ne fideles ab Episcopo remoti manere debeant destituti dispensationis remedio. 2dò. Requirit sufficientem causam, quæ tamen non debet esse tanta, ut de se excusaret, tunc enim, si esset certa & manifesta, nulla requiretur dispensatio.

DICO 2. *Eucharistia est Sacramentum totius Ecclesiasticae unitatis. . . . In hoc Sacramento requiritur devotio totius populi, pro quo sacrificium offertur S. Th. 3. p. Q. 83. a. 4. ad 3. & 5. Sive tenentur fideles capaces diebus Dominicis & Festivis, non præcisè in Ecclesia Parochiali sed ubicunque celebratæ Missæ integræ devotè interesse, nisi legitimè excusentur.*

Continetur hoc præceptum Can. Missas 64. dist. 1. de Cons. desumpto ex Con. Agathensi: *Missas die Dominico secularibus totas audire speciali Ordine præcipimus: idè, ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non presumat: quod si fecerint ab Episcopo publicè confundantur.*

Explicatur conclusio per partes:

Primò præceptum audiendi sacrum in hoc uti & in aliis Canonibus præsupponitur, non primitus fertur: cum magis ex traditione, quam ex certo aliquo Canone habeatur, quamvis autem quoad determinationem temporis hoc præceptum sit juris Ecclesiastici, & ex jure naturali vel divino nulla ratio adduci possit, cur potius hoc, quam illo die sit assistendum sacris mysteriis; quoad substantiam tamen est de jure naturali, quatenus est de offerendo sacrificium Deo; nam in præcepto de audiendâ Missâ duo continentur: nempe obligatio ad offerendum Deo sacrificium & ad exhibendum Deo supremum cultum; hæc autem obligatio est juris naturalis. Deinde est obligatio offerendi Deo hoc sacrificium incruentum & hæc est obligatio juris divi-
ni

ni desumpta ex verbis Christi Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: quæ quidem verba principaliter sunt directæ ad Apostolos eorumque in sacerdotio successores tanquam principales offerentes, secundario tamen dicta sunt etiam fidelibus: nempe iis, qui capaces sunt devotè & reverenter assistere tremendo Missæ sacrificio, & respectu horum hoc præceptum obligat sub mortali ut constat ex praxi Ecclesiæ & communi fidelium observantiâ; cujus ratio est: quia materia, quæ præcipitur est gravis, nempe recognitio Dei per cultum externum publicum, ad quem etiam de jure naturæ tenetur quisque, & virtus Religionis obligat omnes profitentes unam Religionem ad communicandum in cultu publico externo. Adde: præceptum sanctificandi diem festum: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices* obligat graviter, per auditionem autem sacri maxime sanctificatur dies festus.

Secundò de jure antiquo tenebantur singuli audire Missam in propriâ Parochiâ ut constat ex cap. ut Dominicis 2. de Paroch. & extrav. 2. de Treugâ & pace ibi: *Cum jure fit cantum illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesiâ, nisi forsitan ex honestâ causâ ab ipsâ Ecclesiâ se absetarent*, modo autem non est obligatio audiendi Missam in propriâ Parochiâ, sed hoc præceptum potest impleri in quocunque loco publico sive Ecclesiâ sive oratorio desumitur ex diversis declarationibus SS. PP. ut S. Pii V. Clementis VIII. Leonis X. qui declararunt, quod audientes Missam in Ecclesiis Regularium diebus Dominicis & festivis satisfaciunt præcepto. Quibus conformiter Concilium Trid. sess. 22. in decret. de serv. in celebrat. Miss. ordinat quod Episcopi *moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis & majoribus festis accedant* ? ergo voluit relinquere populo libertatem audiendi Missam, ubi vo-

luerit : siquidem vult tantum moneri ut accedant frequenter , si autem concilium agnovisset obligationem , præcepisset populum moneri suæ obligationis ; ratio autem desumitur ex consuetudine , quæ cum abrogare possit leges Ecclesiasticas , si sit rationalis , poterit abrogare præceptum de audiendâ Missâ in propriâ Parochiâ , quod autem hæc consuetudo sit rationalis , patet indè : quia est approbata per SS. Pontifices declarantes , quod audientes Missas in Ecclesiis Regularium satisfaciant præcepto ; unde Ordinarii non possunt legibus aut edictis populum cogere ad audiendam Missam in propriâ Parochiâ , minùs pœnis & censuris non audientes taliter Missam punire ut declaravit S. Cong. Dixi : impleri præceptum per auditionem Sacri in quocunque loco publico : quia de rigore dato privilegio celebrandi in aliquo loco privato ad cultum publicum non deputato , non possunt fideles extranei per auditionem Missæ in tali loco privato satisfacere : quia in talibus privilegiis additur Clausula : ut extranei audiendo Missam in tali loco privilegiato non satisfaciant præcepto diebus Dominicis & Festivis. Quamvis in hisce partibus obtineat consuetudo , ut satisfiat , in quocunque loco audiatur Missa.

Tertiò ex vi præcepti tota & integra Missa est audienda. desumitur ex Can. Omnes fideles 62. Can. Missas cit. Can. cum ad celebrandas 65. Dist. 1. de Consec. Et ratio est : quia cum præceptum pro materiâ habeat totam & integram Missam , quælibet pars cadit sub præcepto ; maximè cum Ecclesia præcipiat Missam non tantum prout est Sacrificium , sed etiam prout est Cæremonia sacra ; ergo quælibet parte Missæ omisâ violatur præceptum , & quidem graviter , si pars omissa sit notabilis , venialiter , si sit levis , ad dignoscendum autem an aliqua pars sit notabilis : distinguendum est inter partes , quarum aliquæ sunt essentialis

REGIS.
 Consecrat
 uatio & C
 Offenoriur
 dinanz : ut
 rratem Missæ
 quenter grav
 am facile n
 ca partes pri
 tertiam part
 secundum c
 unde qui
 unioni juxta
 non est in
 vel post C
 & regulariter
 tate Evangeli
 peccant morta
 quia præcep
 materiam pra
 Quarto Non h
 præcepto de
 13. dam
 Ecclesia de
 simul à di
 onis est, quia
 unum totum f
 eborum & acti
 unum succe
 adeoque etiam
 est tamen una
 idem successivi
 Missa cum alterâ
 no Altari Missam
 simul in alter
 ; multi tam

les; ut Consecratio utriusque Speciei. Aliæ integrales : ut Oblatio & Communio ; aliæ principales : ut Canon, Offertorium, Evangelium ; aliæ partes regulares seu ordinariæ : ut Gloria, Credo. Qui omittunt tertiam partem Missæ, partem notabilem omittunt, & consequenter graviter peccant, partes autem non regulares tam facile non constituunt unam tertiam, & contra partes principales etiam minores citius constituunt tertiam partem : partes enim non debent considerari secundum diuturnitatem, sed secundum dignitatem ; unde qui omittit assistere Consecrationi vel Communioni juxta plures peccat mortaliter, & contra qui non est in parte Missæ, quæ est ante Offertorium vel post Communionem, tantum venialiter peccat, & regulariter loquendo, qui sero veniunt ad Missam ante Evangelium vel juxta alios ante Offertorium non peccant mortaliter, nec tenentur novam Missam audire : quia præcepto satisfecerunt quoad substantiam, licet materiam præceptam non notabilem omiserint.

Quartò. Non licet per diversas partes plurium Missarum præcepto de audiendo Sacro satisfacere constat ex Propos. 53. damnatâ ab Innoc. XI. *Satisfacit præcepto Ecclesie de audiendo Sacro, qui duas partes imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.* Ratio damnationis est, quia una Missa uti & una hora canonica est unum totum successivum : consistit enim in motu verborum & actionum sibi succedentium, quamvis autem unum successivum possit coexistere alteri successivo adeoque etiam audiri una Missa cum alterâ, non potest tamen una pars successivi coexistere alteri parti ejusdem successivi, & ideo non potest audiri una pars Missæ cum alterâ parte ejusdem Missæ v.g. audiri in uno Altari Missam ab Introitu usque ad Consecrationem & simul in altero à Consecratione usque ad Finem ; multi tamen adhuc excusant eum, qui succes-

audit duas medietates v. g. venit ad templum, dum in uno Altari fit consecratio, illâque Missâ absolutâ audit aliam usque ad consecrationem; quia tamen talis auditio Missæ per medietates non est consentanea communi praxi fidelium, ab illa non est recedendum: maximè cum illæ duæ partes duarum Missarum etiam successivè auditæ unum & idem Sacrificium non constituent.

Quintò quantum ad modum audiendi Missam: non sufficit quod omnia verba celebrantis audiat, sed debet taliter in loco missæ esse præsens, ut possit dici unus è numero eorum, qui circumstant, & cum Sacerdote offerunt Sacrificium; ideoque sufficit, esse in quâcunque parte templi, in quo fit Missa, dummodo sciatur fieri Missam, & possit saltem mediantibus aliis percipi, quid agatur: sufficeret etiam esse extrâ Ecclesiam, dummodo quis esset junctus iis, qui sunt in Templo constituendo unam multitudinem protensam usque in Templum ad Aram. Requiritur autem præter præsentiam etiam intentio audiendi Sacrum: hæc autem non debet terminari tantum ad actionem illam externam sed debet terminari ad oblationem Sacrificii, ideoque qui audit Sacrum & satisfacit præcepto de audiendo Sacro, debet ad minus habere voluntatem vel formalem vel virtualem assistendi Missæ tanquam rei factæ, quâ exhibetur Deo cultus: quia Ecclesia non præcipit nudam corporalem assistentiam, sed talem per quam Deo cultus exhibetur, quæ absque intentione explicatâ haberi nequit. Unde qui interest Sacro curiositatis gratiâ, vel ut expectet Amicum aut similem intentionem extraneam habet, non audit Sacrum & consequenter non satisfacit huic præcepto. Demum requiritur in audiente Sacrum attentio, & quidem duplex externa & interna: externa consistit in omissione actionum exteriorum impossibilium cum inter-

nâ

in LEGIB.
 nâtionem, &
 Tuzi tam ad
 tim Horarum
 corde audiendi
 cor nonabile te
 resofanas legur
 nar &c. Qu
 vire omni; a
 ad, quod in
 om seotentiar
 o in illâ nequ
 specie colentis
 minus requiritu
 gestis in Sacri
 testari, id
 obblem partem
 tationes sibi no
 cum audire, ut
 lero causæ ex
 pedimentum spi
 ritus aut inte
 communicatu
 morale: si quis
 habeat privileg
 tate celebrari do
 in hie gravis diffi
 cultas infectionem,
 minoris aut bonor
 debet ministrare in
 v. g. milites ter
 pignas. Ex hac cau
 te turbatione alior
 tere nequeunt, a
 vire & legitime pr
 ut terminæ per alie
 res Missam.

nâ attentione, & hanc externam attentionem omnes Theologi tam ad auditionem missæ, quam ad recitationem Horarum Canoniarum requirunt, unde præcepto de audiendâ missâ non satisfaciunt, qui in Sacro per notabile tempus garrunt, litteras vel relationes profanas legunt, picturas vel adventantes fixè intuentur &c. Quia carent attentione exteriori omni vel ferè omni; attentio interna est applicatio animi ad illud, quod in Sacro agitur, & hæc etiam juxta veterem sententiam requiritur ad auditionem Missæ; quia sine illâ nequit dici, quod quis assistat religiosè sub specie colentis Deum per sacrificium; unde tanta ad minus requiritur attentio interna, ut quis possit de rebus gestis in Sacro, seu quo usque Sacerdos pervenerit, testari, ideoque qui etiam inculpabiliter per notabilem partem Sacri in die Festo ob vehementes distractiones sibi non fuisset præsens, deberet novum Sacrum audire, ut satisfaceret præcepto.

Sextò causæ excusantes ab auditione Missæ sunt **I.** Impedimentum spirituale; si vel auditor sit excommunicatus aut interdictus, aut Sacerdos celebraturus sit excommunicatus non toleratus. **2.** Impedimentum corporale: si quis ægritudine vel carcere impediatur, nisi habeat privilegium celebrandi vel ut possit coram se facere celebrari domi vel in carcere. **3.** Impotentia moralis sive gravis difficultas v. g. ob inimici machinationes, aeris infectionem, ob notabile detrimentum sanitatis honoris aut bonorum fortunæ. **4.** Charitas quâ v. g. debet ministrare infirmo. **5.** Officium seu obedientia: quâ v. g. milites tenentur custodire Castrum seu agere vigilias. Ex hac causâ excusantur matres & nutrices sine turbatione aliorum non valentes infantes, quos deserere nequeunt, ad Ecclesiam deferre. **6.** Rationalis & legitimè præscripta consuetudo, quâ excusantur fœminæ per aliquot dies post partum non audientes Missam.

DICO 3. *Immediatè ante solemnitatem Pasche Ecclesia statuit esse jejunandum, & eàdem ratione in vigiliis præcipuarum festivitatum, in quibus preparari nos oportet ad festa futura devotè celebranda, similiter etiam consuetudo Ecclesiastica habet, ut in singulis quartis anni sacri ordines conferantur, ad quorum susceptionem oportet per jejunium preparari & eos, qui ordinant, & illos qui ordinandi sunt, & etiam totum populum, pro cuius utilitate ordinantur. S. Th. 2. 2. Q. 147. 2. 5. O. Sive Ecclesia jejunium aliquibus anni temporibus per abstinentionem à certo ciborum genere & secundà refectione servandum indixit, à quo tamen quidam fideles excusantur aliquibus causis.*

Explicatur: 1. mò. Jejunium est actus virtutis abstinentionis ordinatus ad tria præcipuè bona. 1. mò. Ad concupiscentias carnis reprimendas. 2. dò. Ad mentem divinæ contemplationi adaptandam. 3. tiò. Ad satisfaciendum pro peccatis; ob quos fines licet jejunium in communi sit de jure naturæ, quantum ad determinationem ciborum & temporum tamen est juris Ecclesiastici. Et ità Ecclesia determinavit cibos, à quibus ex primava institutione præcipuè in jejunio quadragesimali abstinendum sit: vid. carnes, ova & lacticia quia hi cibi maximè nutriunt & ad venerea provocant, *Nec obstat*: quod etiam vinum provocet concupiscentiam & magis quam esus carniū. Nam contra est: quod calor à vino proveniens citò transeat, substantia verò humoris à carnibus & eis, quæ fementinam à carne originem ducunt, nascens diu maneat, unde lex vel consuetudo Ecclesiastica hæc prohibuit in diebus jejuniorum, non verò vinum, quantum verò ad ova & lacticia in pluribus locis contraria consuetudo servatur, unde in quolibet loco attendenda est consuetudo, quæ si adhuc vigeat quoad abstinentionem ab ovis & lacticiis, probabiliùs graviter obligat, cum in can.

dem 6. dist. I
omnino, quod si
habitate, ovis
Tempora je
Quadragesim
venerum &
usque ad S
Ecclesia vi
Calici viderent
Christi negat
honorem Ec
ribus, 2. dò
ical. verni, xl
mus 4. can.
VII. his temp
Christus est
& mortuus
sepulturam, ut
jejunia 16. d
nativitatis I
M. Sanctoru
Phillippi & Jaco
tempè S. Joar
Sanctorum, ex
1. & cap. con
consuetudin
tempore excep
Sabbato reman
& Sabbatho
tamen ex co
etiam & extremita
serv. jejun. & can
natis Domini in
tum (exceptis illis
jejunium obligantur)

denique 6. dist. 11. æquè præscribatur abstinencia ab omni eo, quod sementinam carnis trahit originem vid. lacte, caseo, ovis, ac à carne.

2. Tempora jejunii determinavit Ecclesia sequentia: imò Quadragesimæ; cujus jejunium inchoatur feriâ quartâ cinerum & intermissis diebus Dominicis continuatur usque ad Sabbathum sanctum inclusivè; idè autem Ecclesia videtur excepisse dies Dominicos, ne Catholici viderentur consentire hæreticis resurrectionem Christi negantibus & in illius contemptum, ob cujus honorem Ecclesia diem Dominicum celebrat, jejunantibus. 2dò. Instituit jejunium quatuor temporum scil. verni, æstivi, autumnalis & hyberni ex can. statuimus 4. can. jejunium 7. & can. scire 8. dist. LXXVI. his temporibus oportet jejunare feriâ quartâ, in quâ Christus est venditus, feriâ sextâ in quâ est crucifixus & mortuus, & Sabbatho ad rememorandam ejus sepulturam, ut colligitur ex Can. Sabbatho 13. & can. jejunia 16. dist. III. de cons. 3tiò determinavit vigiliis nativitatis Domini, Pentecostes, assumptionis B. V. M. Sanctorum Apostolorum (exceptâ vigiliâ Ss. Philippi & Jacobi) & aliorum quorundam Sanctorum nempe S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii, & omnium Sanctorum, ex constitutione Innocentii III. cap. ex parte 1. & cap. consilium 2. de observ. jejun. & ex præscriptâ consuetudine. Mos antiquus jejunandi toto anni tempore excepto paschali feriis quartis & sextis ac Sabbatho remansit tantum quoad obligationem feriâ sextâ & Sabbatho abstinendi à carnibus; intrâ Hispaniam tamen ex consuetudine licet vesci pecorum intestinis & extremitatibus, & ex cap. explicari 3. de observ. jejun. & can. quia dies 3 1. dist. V. de Consecr. si natalis Domini incidat in feriam sextam & Sabbathum (exceptis illis, qui vi professionis & voti ad jejunium obligantur) omnibus licet vesci carnibus. Jejunium

nium adventûs Domini etiam abiit in desuetudinem, Jejunium autem vel abstinencia saltem à carnibus in diebus rogationum pertinet tantum ad aliquas Ecclesias.

3. Præter abstinenciam à Carnibus ad jejunium Ecclesiasticum requiritur abstinencia à secundâ refectio-
ne: cum Ecclesia ita præcipiat jejunium, ut tamen velit naturæ conservationem, cui videretur unica refectio de die sufficere; hujus refectio-
nis quantitas per Ecclesiam non est determinata & si in ciborum permis-
sorum quantitate, excederetur non esset prævaricatio legis Ecclesiasticæ sed naturalis præcipientis temperatam
comestionem, Interruptio hujus refectio-
nis tam modica, ut censeatur moraliter una comestio non pugnat cum
præcepto jejunii, nec frangit jejunium, quidquid sumitur
per modum medicamenti; hinc licitum est accipere
frustulum panis alteriusve cibi, ne noceat potus; nec
potus quamvis frequentatus ab Ecclesiâ prohibitus est
diebus jejuniorum: cum magis sumatur ad corporis
alterationem & ciborum digestionem, quam ad nu-
tritionem, licet aliquo modo nutriat. Præterea modi-
ci cibi sumptio, quando prandium ultra communem
horam est differendum, ne vires deficient aut sto-
machi dolor incurratur, censeatur se habere per modum
medicamenti; Communis usus obtinuit, ut præter
refectionem sumatur refectiuncula nocturna, quam so-
lemus dicere collationem; qui usus huic rationi inni-
titur ne vires nimium deficient, & ut somnus capi pos-
sit, quæ ratio licet multos præsertim robustioris com-
plexionis non comprehendat, attamen ob frequentem
necessitatem consuetudo omnibus promiscuè hanc col-
lationem licitam reddidit, in quâ quoad quantitatem
praxis timoratorum imitanda est. Quod si quis secun-
dam refectio-
nem sumpserit ex communi sententia non
tenetur abstinere à tertiâ & quartâ: quia jam substantia
jejunii

jejunium impossi-
bile secundâ refe-
ctionem de ma-
jorâ refectio-
ne historia jejunii
um.

Refectio ut
morâ debitâ
las, modo ef-
tenetur pro
cedunt; h
aliquos est
ur, quod sit
repugnat gra-
concupiscer
pugnât, hinc
fumere coll
prandium,
perficiendi
um, hospitum
Præceptum
astringit ut
adros, sed qu
solos eos, qu
ex benignâ
tate minore na
abstinenciam perc
sanciantur tamen
causâ videlicet
dispensationis.
Causa impoten-
tum in infirmis
stomachi labo-
que gravi inco-
gumalibus vel uni

jejunii est impossibilis ; cum illa importet abstinenti-
am à secundâ refectione. econtrâ si ignorans esse di-
em jejunii de mane sumperit sufficiens Jentaculum,
à secundâ refectione tenetur abstinere ; quia adhuc
substantia jejunii est possibilis quoad hanc etiam
partem.

4. Refectio unica in die jejunii permiffa debet
fieri horâ debitâ, quæ olim erar post Vesperas ce-
lebratas, modo est tempus Meridianum, ultrâ quod
nemo tenetur protrahere jejunium ex receptâ jam
consuetudine ; hoc tempus notabiliter antevertere
juxtâ aliquos est peccatum mortale, verius tamen
videtur, quod sit tantum peccatum veniale : quia
non repugnat graviter & notabiliter fini præcepti,
qui est concupiscentiæ refræ natio, quia tamen leviter
illi repugnat, hinc est peccatum veniale. Sicut & de
mane sumere collationem & differre usque ad ves-
peram prandium, nisi adsit rationabilis causa : v.g.
itineris perficiendi, negotiorum faciliùs expedien-
dorum, hospitem dimittendorum &c.

5. Præceptum jejunii quoad abstinentiâ à car-
nibus astringit universos Christianos rationis usu
præditos, sed quoad abstinentiâ à binâ come-
stione solos eos, qui 21. m. ætatis annum comple-
verint ex benignâ Ecclesiæ interpretatione : cum
in ætate minore natura nondum ad incrementi sui
consistentiam perducta frequentiori cibo indigeat.
Excusantur tamen fideles ab hoc præcepto ex quadru-
plici causâ videlicet impotentia, laboris, pietatis
& dispensationis.

Causa impotentia etiam moralis sufficit & habet
locum in infirmis, valetudinariis, dolore capitis
vel stomachi laborantibus, aliisque qui non valent
absque gravi incommodo sanitatis uti cibis quadra-
gesimalibus vel unicâ refectione contenti esse. ubi in
dubio

dubio requiritur consilium Medici vel authoritas Superiorum. Idem est de Mulieribus prægnantibus & nutrientibus, cum debeant etiam proli cibum ministrare. Ex hac causâ etiam excusantur senes quales plerique existimant esse sexagesimum ætatis annum ingressos.

Causa laboris corporalis excusat, quando jejuni-um est difficile propter laborem quem subeunt Agricolaë, Fabri lignarii, Ferrarii, Sutores, Sculp-tores, Figuli, Lanarii, Pistores, & generaliter omnes Mechanici, qui laborem corporalem cum jejuni-um sine notabili difficultate & molestiâ sustinere non possunt, ex quo capite etiam excusantur iter pedestre agentes per quatuor vel quinque Leucas; labor animi tantus, ut difficulter cum jeju-um sustineri possit v.g. in eo qui munus concio-nandi singulari cum labore subire debet etiam ex-cusat ab obligatione jejuni-um. Porro voluntariè si-ne necessitatis vel magnæ utilitatis causa labores impediens ab observatione jejuni-um assumere non licet illis diebus, quibus urget jejuni-um præceptum, quia hoc esset peccatum omissionis indirectè volun-tariæ.

Causa pietatis à jejuni-um excusat eos, qui vel ex charitate vel ex religione subeunt opus, cum quo non facile consistit jejuni-um: quia Ecclesia non præsumitur velle impedire per jejuni-um nobiliorem charitatis vel religionis actum, unde excusantur à jejuni-um infirmarii necessario ministrantes infirmis; Concionatores, qui vel ex officio vel ex obedientiâ aut charitate illo munere funguntur, magistri lit-terarii, qui vel in studendo vel docendo nimium defatigantur imò & Confessarii, qui ob jejuni-um à confessionibus audiendis desistere cogentur. Ad-dunt aliqui Conjugem ob jejuni-um impoten-

DI LEGIB.
rem d redder
Cosa dispenle
quamus caula
Silia S. Joant
Corris Christi è
eren feriam qui
emutatio in a
jejuni-um tribuu
nona possit.

QU

Ultra ad leges
sunt, proind
obligent, di
DICO I. Ad j
desia fecit Deus
dunt dignitates
Regalis potestas
trualibus, ma
ad Sive potestas
in summo Ponti
Deo concessâ pot
glarem animarur
vere constitutione
tino, dependenter
tisque jurisdiclio
Exponitur quoa
ritifice,
Probatur: Qui
verris Christi Vic
ommit omnium
meas Jo. 21. N
alienum à suo a
cessores ejus Ma
1. 2. Theol. Sci

tem ad reddendum debitum moderatè petitum.

Causa dispensationis superius exposita est, ubi requirebamus causam proportionatam qualis esset v. g. Si vigilia S. Joannis Baptistæ incideret in solemnitatem Corporis Christi & vigilia S. Matthiæ in secundam vel tertiam feriam quinquagesimæ tum enim rationabiliter fieret mutatio in alium diem. Facultatem dispensandi in lege jejunii tribuunt Authores parochi, si Episcopus adiri non possit.

Q U Æ S T I O III.

De lege Ecclesiastica.

PLura ad leges Ecclesiasticas pertinentia jam dicta sunt, proinde hic tantum, à quibus ferantur, & quos obligent, dicendum restat.

DICO 1. *Ad firmamentum Cœli hoc est universalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, id est duas instituit dignitates, que sunt Pontificalis Autoritas & Regalis potestas, sed illa, que præst diebus id est spiritualibus, major est.* Cap. solitæ 6. de major. & obed. Sive potestas ferendi leges Ecclesiasticas primò est in summo Pontifice, qui potestate sibi immediatè à Deo concessâ potest in materiâ spirituali & concernente salutem animarum & rectam Ecclesiæ gubernationem facere constitutiones Ecclesiasticas pro toto orbe Christiano, dependenter ab ipso est in Conciliis generalibus aliisque jurisdictionem Ecclesiasticam obtinentibus.

Exponitur quoad singulas partes & 1. de summo Pontifice.

Probatur: Quia summo Pontifici tanquam summo in terris Christi Vicario in B. Petro Apostolo Christus commisit omnium ovium suarum curam dicens: *Pasce oves meas Jo. 21. Non distinguens inter has oves & alias, ut alienum à suo demonstraret ovili, qui Petrum & Successores ejus Magistros non cognosceret ut loquitur*

Innoc. III. in cap. cit. & hæc potestas competit Papæ non ex hominibus sed immediatè à Deo ut probatur in Extrav. unam 1. de major. & obed. ubi ità Pontifex: *Est autem hæc authoritas (Et si data sit homini Et exerceatur per hominem) non humana sed potius divina, divino ore Petro data sibi que suisque successoribus in ipso, quem confessus fuit, Petra firmata dicente domino ipse Petro: quodcunque ligaveris super terram; ideò Papa celebratâ semel Canonicâ electione & præstito in eam electi consensu absque aliâ confirmatione ante consecrationem suam statim habet authoritatem regendi Ecclesiam universalem; in quo differt ab aliis Prælati inferioribus, qui ante suam confirmationem non habent jus administrandi; ratio disparitatis est clara: quia inferiores Prælati recognoscentes in terris superiorem suam potestatem non immediatè à Deo accipiunt, sed mediantè summo Pontifice ac proinde indigent confirmatione superioris, per quam potestatem jurisdictionis accipiunt; secus est in S. Pontifice, qui Canonicè electus post præstitum in electionem consensum omnem suam potestatem sive jurisdictionem recipit ab ipso Deo, neque in terris superiorem agnoscit, à quo confirmetur, licet pro majori solemnitate inthronisationem vel coronationem admittat. Dixi: in materiâ spirituali: quia potestatem temporalem, quam Romanus Pontifex exercet in ditiones temporales, habet ex jure mere humano scil. ex donatione Constantini Magni quartâ die post baptisma B. Sylvestro ejusque successoribus legitimis factâ juxtâ Can. Constantinus 14. dist. XCVI. cap. fundamenta 17. de elect. in 6. quam donationem constantinianam successores Imperatores confirmârunt ut probatur ex can. Ego Ludovicus 30. dist. LXIII. & Clem. Romani 1. de jurejur. extrâ proprium territorium temporale leges civiles Pontifex ferre non potest; quia potestas Politica ordinaria*

DE LEGIB.
 dicitur & directiva est p
 Papæ ut ipsimet
 coram 8. dist.
 facta. dist. XC
 us men fatend
 Chri Vicarius in
 pastor indire
 ordam suprema
 Elicæ judicandi
 ita, ut quan
 Ecclesiæ, p
 impes coercere
 & velut cast
 spiritali sub
 ut probatur
 legit. Clem. Pa
 1. caus. XV. Q
 corum ex causi
 ramento fidelit.
 ant. & re jud. in
 peratorem in C
 Concilium ge
 facere constitut
 modo accesseri
 boritas illæsa per
 od Græci synodu
 consiliatorur
 veritas legitimè it
 1. dist. XV. str
 edorum maximè E
 Ecclesiæ & rebu
 congregatorur
 Concilium potest est

dinaria & directa & jurisdictio tam legislativa quam dominativa est penes Principes sæculares exclusivè ad Papam ut ipsimet Ss. Pont. & Ss. PPres tarentur Can. quoniam 8. dist. X. Can. cum ad verum 6. Can. duo sunt 10. dist. XCVI. cap. novit 13. de Jud. Nihilominus tamen fatendum est, quod Papa utpote supremus Christi Vicarius in terris atque ovium Christi universalis Pastor indirectè sive ratione spiritualis potestatis quandam supremam potestatem habeat pro bono statu Ecclesiæ judicandi & disponendi de rebus temporalibus; ità, ut quando de peccato agitur & de bono totius Ecclesiæ, possit S. Pont. legi civili derogare, Principes coercere & deponere & ità indirectè extraordinariè & velut casualiter temporalem potestatem tanquam spirituali subordinatam in totam Ecclesiam exercere: ut probatur ex cap. per venerabilem 13. qui fil. sint legit. Clem. Pastoralis 2. de sent. & re jud. Can. alius 3. caus. XV. Q. 6. Ubi Romanus Pontifex Regem Francorum ex causis gravissimis deposuit & subditos à Juramento fidelitatis absolvit cap. ad Apostolicæ 2. de sent. & re jud. in 6. ubi Innoc. IV. Fridericum II. Imperatorem in Con. Lugdunensi ab imperio deposuit.

2. Concilium generale legitimè congregatum potest facere constitutiones obligantes totam Ecclesiam, dummodo accesserit confirmatio S. Pontificis & hujus Autoritas illæsa permaneat. Dicitur 1. *Concilium*, quod Græci synodum appellant, & latius acceptum est cætus consiliariorum ad resolvendas reipublicæ controversias legitimè in unum congregatorum. Videatur Can. 1. dist. XV. strictiùs sumptum est conventus Sacerdotum maximè Episcoporum pro negotiis gravioribus Ecclesiæ & rebus fidei resolvendis à legitimo superiore congregatorum. Dicitur 2. *Generale*: quia Concilium potest esse triplex Generale, Provinciale,

& Episcopale five Synodus Diœcesana. Concilium Generale, quod & œcumenicum appellatur, est illud ad quod convocantur omnes Episcopi totius orbis Provinciale est, quod congregatur ex suffraganeis certæ Provinciæ autoritate Metropolitanæ ad definiendas causas spirituales illius provinciæ, quæ non sunt ex majoribus & S. Pontifici reservatis; huc reducitur concilium nationale, in quo omnes Archi- & Episcopi certæ nationis sub uno Primate vel Patriarchâ conveniunt. Demum Synodus Diœcesana est, quæ ob memoratum finem congregatur Autoritate Episcopi Diœcesani. Dicitur 3. *Legitimè congregatum*: quia Concilium generale (quod non nisi gravissimis de causis convocari solet, ac post sacrum Concilium Trid. non amplius congregatum est, nec forsan amplius congregabitur ob maximas difficultates & pericula schismatis, ut constabit legenti historiam Tridentini) absque Autoritate S. Pontificis congregari non potest. Can. Regula 2. Can. multis 5. dist. XVII. Si secus fiat, illud non rectè Concilium sed Conventiculum, Synagoga Sathanæ in Canonibus appellatur carens omni Autoritate & robore. Dicitur 4. *Potest facere constitutiones obligantes totam Ecclesiam*: ut patet ex Ecclesiæ praxi; sic in novissimo Concilio Trid. & omnibus ferè Conciliis Generalibus antecedentibus non solum Catholica fides contra insurgentes hæreticos fuit explicata & pluribus Canonibus roborata, sed etiam plura decreta & Regulae pro felici Ecclesiæ gubernatione, morum & disciplinæ Ecclesiasticæ reformatione emanaverunt. *Ratio est*; Quia S. Pontifex Autoritate divinitus accepta potest extrâ Concilium novas constitutiones totam Ecclesiam obligantes edere; ergo etiam in Concilio idque eò majori fructu meliorique successu; eò quod Ecclesia postmodum promptius idipsum acceptet, quod antea in suis capitibus legitimè congregata concordi

judi.

DE LEGITIMIS
 judicis faciendi
 concilio confirm
 concilium gener
 pontificis,
 congregata in ali
 fuerunt; sed ut a
 recitari in supe
 concilia ab
 his celebrata
 fuerunt ac nov
 tate per legat
 er. Cui non ob
 que conciliaria g
 S. Synodus,
 recipit sive def
 ummodo à Pon
 Et hujus Anti
 um Generale not
 is constitutionil
 ap. significasti 4.
 nia Concilia per
 fuit, & robor
 ter excipitur.
 in primis nasc
 agnovit Sinuessan
 um Marcellinum
 um simulachris T
 non audentium,
 ne non nostro ju
 o judicatur. Ic
 te reforma, provi
 ngula sub quib
 morum reformati
 concilio statuta su
 semper Authorita
 gior.

judicio faciendum decrevit. Dicitur 5. *Dummodo
 accesserit confirmatio S. Pont.* quia non sufficit, quod
 concilium generale fuerit congregatum autoritate sum-
 mi Pontificis, quia nonnulla talia concilia legitimè
 congregata in aliquos errores inciderunt & reprobata
 fuerunt; sed ut acta Concilii generalis robur obtineant,
 requiritur insuper confirmatio S. Pontificis, quam
 omnia concilia absente Papâ & Præsidentibus ejusdem
 legatis celebrata petere & summi Pontifices dare con-
 sueverunt ac novissimè PPtres Concilii Trid. sess. 25.
 in fine per legatos petendam censuerunt ac obtinue-
 runt. *Cui non obstat*, quod jam ante confirmationem
 Papæ concilium generale utatur hujusmodi verbis: præ-
 cipit S. Synodus, mandat, sit Anathema; quia talia
 præcipit sive definit concilium quantum est in se &
 dummodo à Pontifice approbetur. Dicitur denique
 6. *Et hujus Autoritas illæsa permaneat*: quia conci-
 lium Generale non est suprâ Papam, ut eum ligare &
 suis constitutionibus coarctare possit, ut probatur ex
 cap. significasti 4. de elect. quod ita loquitur: *cum
 omnia Concilia per Romanæ Ecclesie Autoritatem & fa-
 cta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis pa-
 tenter excipiatur Romani Pontificis Autoritas*; idip-
 sum in primis nascentis Ecclesiæ temporibus inter alia
 agnovit Sinuessanum Concilium plurimorum Episcopo-
 rum Marcellinum Papam ob adhibitum falsorum Deo-
 rum simulachris Thus pœnitentiam agentem damnare
 non audentium, sed una voce clamantium: tuo re-
 ore non nostro judicio judica, nam prima sedes à nul-
 lo judicatur. Ideò Concilium Trid. sess. 25. cap. 21.
 de reform. providè & expressè declaravit: omnia &
 singula sub quibuscunque clausulis & verbis, quæ de
 morum reformatione & Ecclesiasticâ disciplinâ in hoc S.
 concilio statuta sunt, ita decreta esse, ut in his salva
 semper Autoritas Apostolicæ Sedis & sit & esse intelli-
 gatur.

3. Prælati inferiores terre possunt leges suis respectivè subditis ut: Legatus Pontificis intra fines suæ legationis, Archi-Episcopi tum in suis Archidiœcesibus, tum pro totâ Provinciâ in Concilio Provinciali. Episcopi pro suis Dicecesibus. Omnes hi Prælati S. Pontifice inferiores nihil statuere valent contrâ jus commune Canonicum Ratio est: quia inferior non potest legem sui superioris abrogare vel in toto vel in parte; solum igitur tales leges condere possunt circa ea, quæ ad morum reformationem & cultum divinum pertinent, jure autem communi apertè non sunt decisa.

Non obstat 1. Quod Episcopus possit in suâ Dicecesi quod Pontifex in totâ Ecclesiâ; quia illud Axioma intelligendum est cum dependentiâ & subordinatione ad Papam ut Caput visibile universalis Ecclesiæ & salvis constitutionibus Apostolicis aliisque casibus majoribus S. Pontifici reservatis, quia ut loquitur Can. qui se 12 caus. 11. q. 6. *Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem sint vocata sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.*

Nec obstat 2. Quod Principes S. R. I. qui sunt sub Imperatore, sicut Episcopi sub summo Pontifice, possint in suis territoriis condere statuta municipalia etiam contrâ jus commune; quia majus est periculum in abrogatione juris Ecclesiastici, quod ordinatur principaliter ad finem vitæ æternæ, quam in abrogatione juris civilis, quod ordinatur ad conservationem statûs Politici, qui pro diversitate nationum & Regionum diversis mediis conservari potest.

Nec obstat 3. Quod in aliquâ Dicecesi prævalere possit consuetudo contrâ jus commune Canonicum; quia consuetudo si sit rationalis, ex tacito Pontificis consensu vim legis obrinet.

4. Capitulum Cathedrale sede vacante (si sedes Episc-

DE LEGIBUS
Episcopalis vacante
Capitulum) leges
auctoritate Episcopali
communitates
Collegiarum
bus majoribus si
tribus pertinet
nitionem stat
non obligat
bus regularitate
quiva; sed pe
inter membra
Ordines B
sunt juxta con
men regulæ &
nisi sacris Cano
et; quia Pontifi
deo nulla Religi
io superiore con
DICO 1. In
atum & rever
superiori obedire
Th. 2.2. Q. 10.
huius Ecclesiastice
bis obligatio e
gulas:
1. Sacris Can
ficis, si pro toto
Christi fideles, u
bis repetentis pas
ce oves meas, u
successoribus om
agnorum, quan
nunt, ad Eccle
& Matth. 16. ge

Episcopalis vacet iurisdictione & administratio est penes Capitulum) leges condere potest valituras, donec à successore Episcopo revocentur. inferiores tamen communitates Ecclesiasticæ ut : capitula Ecclesiarum Collegiatarum : licet statuta facere non possint in rebus majoribus sine consensu Episcopi, in rebus tamen minoribus pertinentibus ad suæ communitatis administrationem statuta facere possunt, quæ tamen statuta non obligant vi legis : quia in talibus communitatibus regulariter non est potestas iurisdictionis & legislativa ; sed potius per modum conventionis & pacti inter membra talis communitatis initi.

5. Ordines Religiosi eorumque Prælati leges facere possunt juxtà constitutiones suas, privilegia, moderamen regulæ &c. Dummodò nil statuant juri communi sacris Canonibus & Conciliis adversum. Ratio est : quia Pontifex est superior omnium Religionum, ideò nulla Religio quidquam legibus Pontificis ut à suo superiore conditis derogare potest.

DICO 2. *In his, quæ pertinent ad dispositionem actuum & rerum humanarum tenetur subditus suo superiori obedire secundum rationem superioritatis.* S. Th. 2.2 Q. 104. a. 5. O. Sive priùs expositæ potestati Ecclesiasticæ leges ferendi correspondet in subditis obligatio eas implendi secundum sequentes Regulas :

1. Sacris Canonibus & Constitutionibus Ecclesiasticis, si pro toto orbe sint editæ, obligantur omnes Christi fideles, ut probatur ex illo Christi Joannis 21. bis repetentis *pasce agnos meos* & tertio addentis : *pasce oves meas*, ubi Dominus Petro ejusque legitimis successoribus omnium tam subditorum, qui nomine agnorum, quam superiorum, qui nomine ovium veniunt, ad Ecclesiam pertinentium curam demandavit, & Matth. 16. generalem potestatem dedit : *tibi dabo*

Claves Regni Cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis; sub quâ generali promissione continetur potestas condendi justas leges ut sic spirituales Christi oves securius pascantur.

2. Constitutionibus Ecclesiasticis non tantum obligantur fideles sed etiam infideles baptizati: ut hæretici; Ratio est: quia hæretici per Baptismum ac fidem Christi receptam, cum sint ingressi Ecclesiam ejusque membra effecti, manent subditi Ecclesiæ, quantumvis Rebelles; ergo manent obligati legibus ejus; & certè, si ex hoc, quod sint facti hæretici, legibus Ecclesiæ non obligarentur, jam ex suo delicto commodum reportarent; sicut ex perfidiâ servus fugitivus commodum reportaret, si excutiendo jugum Domini eidem non maneret de jure subditus.

Non obstat: quod Hæretici sint membra ab Ecclesia præcisa adeoque extrâ Ecclesiam; quia licet Hæretici simpliciter loquendo non sint de Ecclesia fructuosè communicantes in communibus Ecclesiæ suffragiis, sunt tamen de Ecclesia secundum quid ratione Characteris baptismalis utpote indelebilis, ideoque ne ex delicto commodum reportent, obligantur legibus Ecclesiæ. *Dixi:* Infideles baptizati: quia non baptizati: ut Judæi, Pagani, Catechumeni non obligantur legibus Ecclesiæ, nisi quatenus hæc continent jus naturale vel divinum cum juxtâ Frid. sess. 14. cap. 2. de reform. Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non priùs per baptismi januam in ipsam fuerit ingressus.

3. Leges & statuta Ecclesiastica inferiorum Prælatorum aliorumque superiorum Ecclesiasticorum obligant solum subditos sui proprii territorii; ratio est: quia ad obligationem legis necessaria est jurisdictio; atqui hæc deficit, si aliter non sit subditus Legislatoris, quinimò licet aliquis cæteroquin sit subditus, actu tamen non existat in territorio Legislatoris, qui

DE LEGIBUS
hoc ipso legibus
eodem latis ne
Potest in cap
p. 1. no in omne
constitutionis sen
um ut à ipsis
leguntur: cu
re impune: ut
de statuto E
generalitatem
omnes leges in
quorum
limites pro
om extensa,
mediate à D
tis.

Q

NICO. Prima
obedire ten
Th. 2. 2. Q. 10
Probat: tu
in fideles mon
cediant, tum e
ferendi leg
quoque in fi
endi, neque p
acquirent
quendi, mod
pertinente
ant.
Porro potesta
regimine Demo
publica est per

hoc ipso legibus particularibus seu territorialibus ab eodem latis non amplius astringitur, ut declarat Pontifex in cap. fin. de constit. in 6. *Statuto Episcopi*, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur: subditi ejus furtum extrà ipsius Diœcesin committentes minimè ligari dignoscuntur: cum extrà territorium jus dicenti non pareatur impune: ubi licet Pontifex expressè loquatur solum de statuto Episcopi, nihilominus ob paritatem & generalitatem rationis allatæ rectè extenditur ad omnes leges inferiorum Prælatorum & Legislato- rum, quorum jurisdictio est limitata & coarctata intrà limites proprii territorii, non autem per totum orbem extensa, uti est extensa jurisdictio S. Pont. immediatè à Deo concessa circà materias spiri- tuales.

Q U Æ S T I O IV.

De lege civili.

DICO. *Principibus secularibus in tantum homo obedire tenetur, in quantum ordo justitia requirit* S. Th. 2. 2. Q. 104. a. 6. ad 3.

Probatur: tum ex textibus sacrae scripturae, quibus fideles monentur ut justis Principum legibus obediant, tum ex ratione: quia frustranea esset potestas ferendi leges civiles in magistratu civili, nisi esset quoque in fidelibus subditis obligatio eis obediendi, neque potestati resistentes sibi damnationem acquirerent, si nulla esset obligatio eidem obsequendi, modo in materiâ ad suam jurisdictio- nem pertinente videlicet merè temporali leges fe- rant.

Porro potestas ferendi leges civiles est 1. mò in regimine Democratico (quando scilicet regimen reipublicæ est penes populum, quale olim fuit apud

Romanos) est penes populum. De causâ hujus regiminis loquitur Can. 1. Dist. 11. *Lex est constitutio populi, quâ majores natu simul cum plebe aliquid sanxerunt* & Can. 2. ibid. *plebiscita sunt, quae plebes tantum constituunt & vocantur plebiscita, quod ea plebs sciat.* 2. do In regimine Aristocratico (quando optimates rempublicam gubernant, prout hodie fit apud Venetos & Genuenses, ubi imperium est penes Senatum, cui Dux praesidet) potestas statuendi leges pro bono communi reipublicae residet penes dictos optimates vel senatores de quo Can. 3. cit. Dist. 11. *Senatusconsultum est, quod tantum Senatores populis consulendo decernunt.* Et § *Senatusconsultum instit. de jur. nat. Senatusconsultum est, quod Senatus jubet, atque constituit; nam cum auctus esset populus Romanus in eum modum, ut difficile esset in unum eum vocari, legis sancienda causâ, aequum visum est, senatum vice populi consuli.* 3. to In regimine Monarchico sive unius potestas ferendi leges est penes Monarcham de quo §. 6. instit. de jur. nat. *Quod Principi placuit, legis habet vigorem, cum lege Regiâ, quae de ejus imperio lata est, populus ei & in eum omne imperium suum & potestatem concedat, quodcumque ergo Imperator per epistolam constituit vel cognoscens decrevit, vel edicto praecepit, legem esse constat.* 4. to Principes & Magistratus superiorem agnoscentes non possunt ferre leges, nisi ex speciali Principis supremi concessione vel consuetudine talem facultatem habeant vel confirmationem suorum statutorum à Principe supremo obtinuerint. 5. to Communitates nullam jurisdictionem habentes: ut tribus vel collegia artificum vel opificum non possunt condere leges vel statuta propriè dicta: cum hoc sit exercere jurisdictionem, possunt tamen aliqua statuere con-

DE LEGIBUS
cerencia bon
nemurum sua
stam, sed vi
fidioligant;
contihere pote
unlatire debe

DISP

Uic mater
vatis hun
tenda est sig
ores circa gra
Quoad 1. V
ria: 1. fig
ut Prov. u
alorundo; mu
compensatione
6. Retribuet
veritatem, se
ceptabilitate q
enes, 39. v. 4
no. 4. Pro
de quo ad R
elliam gratia
loquitur S.
tua deputo &
per gratiam inte
Gratia ex par
tive absque de
nos sensus explic
O. Gratia du
Di gratia aliquid
num. Theole
cant gratiam pass

DE LEGIB. DIVIN. ECCLES. & CIV. 587
cernentia bonam administrationem aut defensionem rerum suarum, quæ non per modum legis vel statuti, sed vi pacti aut juramenti inter ipsos præstiti obligant, quia autem nemo invitus pacisci vel contrahere potest, regulariter omnes in tale pactum consentire debent.

DISPUTATIO XXIII.

De necessitate Gratia.

HUic materiæ præter illa quæ 1. p. disp. 26. De variis humanæ naturæ statibus dicta sunt præmittenda est significatio nominis gratiæ. Deinde errores circà gratiam Christi ab Ecclesiâ proscripti.

Quoad 1. Variè accipitur in Scripturâ nomen gratiæ: 1. significat pulchritudinem & venustatem: ut Prov. ult. v. 30. *fallax gratia & vana est pulchritudo; mulier &c.* 2. pro gratitudine sive recompensatione beneficii, in quo sensu 2. Reg. 2. v. 6. *Retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem, sed & ego reddam gratiam.* 3. Pro acceptabilitate quâ quispiam est alteri gratus, ita Genes. 39. v. 4. *Invenit Joseph gratiam coram Domino suo.* 4. Pro gratuito favore divinæ voluntatis, de quo ad Rom. 11. v. 5. *Reliquia secundum electionem gratia, salva facta sunt.* Hoc modo etiam loquitur S. Aug. 1. 2. Confes. cap. 7. *Gratia tua deputo & quæcunque non feci mala.* Ubi per gratiam intelligit æternam Dei providentiam. 5. Gratia ex parte subjecti accipitur pro dono gratis sive absque debito ex parte conferentis dato: hos duos sensus explicat D. noster 3. p. Q. 2. A. 10. in O. *Gratia dupliciter dicitur, uno modo voluntas Dei gratis aliquid dantis, alio modo ipsum donum gratuitum.* Theologi gratiam in secundo sensu vocant gratiam passivè sumptam in primo sensu gratiam